owiecki
Rex Poloniae

Winkler Martini: Panegyricus Serenissimo Principi Michaeli, Regi Poloniae, – sacro solennique regalis inagurationis die – consecratus.

PANEGYRICVS
SERENISSIMO PRINCIPI
MICHAELI
DEI GRATIA
REGI POLONIÆ
Magno Duci Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Czernihouiæq; &c. &c.

In primo aditu Maieſtatis

Sacro ſolenniq; Regalis inaugurationis die

A


M. MARTINO WINKLER, *Scholaſtico* SANCTÆ ANNÆ, *Collega Maiore, Tyliciano Eloquentiæ* PROFESSORE.

Publicæ lætitiæ & officioſi cultus gratiâ

CONSECRATVS

Anno Regis Regum nati MDCLXIX. *Die* 30. *Septem:*

CRACOVIÆ,
Typis NOVODVORSCIANIS.



Nullum præstabilius aut pulchrius DEI munus est, quam castus, & sanctus, Diuisq; simillimus PRINCEPS.

Plin: Paneg: Traian;

SERE.

SERENISSIME
REX

AVgustam Regni felicitatem, & beatissimi sæculi ortum, maiori successu quàm destinatione, terris illabentem nostris, est vnde Tibi Authori suo, cui similem nec voto saltim concipere succurrebat: vnde Reginæ Libertati, inter discrimina summa, iniuriasque eluctatæ: vnde nobis omnibus, Patriæque multá strage defor-mi, cum curâ & studio gratulemur. Quanquam nulla satis cura absoluere potest, humanæ intentatũ opus industriæ, nulla meditata oratio exprimere, magnam vim post diuturnam ægritudinem surgentium gaudiorum: quæ nec metas inueniunt, quibus circumscribi possint, nec captus hominum, quibus concipi, adeoque fit, vt quod à nemine capi potest, capiat comprehendatque omnes. Repræsentas enim lætissimâ hâc præsentium rerũ scenâ, exprimisque immensitatem DEI, ô REX: cum quo æquatam potestatem, & diuisũ in Orbe Polono habes imperium. Ille Te sibi causamq; nostram, clarissimis iudicij sui signis, asseruit approbauitque. Ille actas in diuersum mentes, & stre-

pentia magno ambitu ſtudia, quietiſſimo concordiæ ſilentio conſopiuit. Ille impoſuit, tot annis, quibus improbas partium molitiones, aut terruimus, aut timuimus, ſollicitæ curæ magnum diem; vt deinde imperij noſtri noſtro arbitrio potentes, neminem ambientium, nec metuere nec amare cogamur. Iuuat iam patrio more, patriâ virtute lætari, & præteriti temporis in comparationem, futurique in exemplum, grande hoc ac duraturum procudere monumentum; eſſe DEO curæ res Polonas, voluiſſeque, vt ingentia mala & pati, & facere aſſuetis, ſerò atque pedetentim ingentia bona venirent, nec ſine periculo ſtare poſſemus, ni prius in ipſa pericula propelleremur. Nam in vacua nuper, orbâque Rege Republicâ, quot in curas ſuſpicioneſque diſpertitos animos habuimus? cùm omnia, pariter ægra ac valida, compoſita ac coercita intumuiſſent; cum nec ſpes nec metus cuiquam certus, ſed vtraque immodica eſſent; vt anxij trepidique nobis conſtitimus? vt paratâ magnis auſis materie, laborauimus? Seneſcentibus prope ipſis nobiſcum aduerſis, fortünâque Regni vetere, cum moribus nos deſerente, quotuſquiſque emenſus longũ calamitoſæ ætatis curriculũ, quò amicam ſibi eam faceret conciliaretque, iuuentutem & exactos olim tranquillitatis annos, non flagrantiſſime cupere? Interim incertiſſimis fidere, libertatis vitijs moueri non curâ, optare quæ conſequi poſſe ſpes non fuit, tantùm communi rei, quantùm ipſe ſibi metuere, cuicunque repræſentati commodi authoramento addictus, ſe animumque fatigare, diuerſâ demùm alternanteque aurâ inflatus ac impulſus, pro rationæ fortunæ & tempeſtatum, velifica-

ficationem mutare, & ſubſidere, palpitareque. Omnes tandem precari, tollereque in cælum manus, daret exoratum terris ſupremum Numen, eum nobis Principem, quem liqueret diuinitùs conſtitutum, Parentem publicum, iuſti & æqui amantem, ſpiritum velut Reipublicæ, per omnes corporis partes, minimas, maximas, æquè diffuſum, caloris vigoriſque datorem munificum, noſcentem Ciues ſuos, & item Ciuibus ſuis cognitum, amabilis Serenitatis auguſtum reſtauratorem. Itura è voto ad Superos, redituraque proſperè talia omnium vota, non tàm facilè erat credere, quàm nunc mirari, Te ad votum omnium acceſſiſſe affectibus noſtris, duxiſſe velut in triumphum volentem Libertatem, Europæ expectationem & iudicia confudiſſe; atque adeò cum vſitatum alijs ſit, Maieſtatem quærere & Regna, Te à Regno vltrò quæſitum eſſe & Maieſtate. Non hominis iſtud ingenium eſt, non hominis poteſtas: Diuina omninò munera, imò Tua à DEO ſunt, quæ quoniam imputari Tibi, quod ambitioſum, rénuis, agnoſci ea in Te, quod heroicum, & non tàm prædicare nobis, quàm audire Tibi neceſſe eſt. Sed quid diſſimilem? imò quid magis ſolenne ac neceſſarium nobis? quam ea prædicare, quæ Orbem ſcire expediat: non aliter apud nos DEVM à Partibus MICHAELIS Regis ſtetiſſe, quàm olim cum in cælo dimicatum eſſet, MICHAEL ſteterat à partibus DEI. Hæc ſæculis nota eſſe, Patriæ etiam ac Libertatis intereſt, hæc parentes liberis ac nepotibus narrare, ſi vnquam alias, in Te vno, Principatum ac Libertátem, pridem inter ſe auerſa & ſuſpicioſa nomina, ſociabili nexu coaluiſſe; ſic flagitantibus, iuſti-

 tiá,

tiâ, voce communi famâ Gentis, & vtilitate communi. Vide, REX, quantam ingeniȷ̃s curam! quàm ingens tormentum admoueris! quantum imbecillitati nostræ negotium accersiueris! quomodo magnitudine rei, quam narramus, vniuersorum vota mortalium, ingenia, Eloquentiam superaueris! & si vniuersorum, quantò magis mea vnius præconia superasti? Quidquid ideò hîc de Te dixero, nil mirum erit, si diuina mortalis ad plenum attingere non possum, & vmbratilis artifex dicendi, inconniuâ acie versari in luce Serenissimi argumenti? Non pigebit tamen vel inconditâ ac rudi voce, memoriam ac testimonium præsentium bonorum, hoc est, Tuam Tibi imaginem consecrasse; quandoquidem pompa artis & ornatus, quibus mediocria tantum extolluntur, imparia & superuacua sunt, donec supra veterum inuenta, noua dicendi ingenia fingantur, quibus res nouæ ac Tuæ, quibus miracula earum ac prodigia, pari Eloquentiâ & Fide, commendentur. Mihi interim, non aliud, præter deuotam Regi meo mentem & stylum, in primo Regni limine attulisse, paratior erit seu laus, seu venia.

Equidem ego ita censeo, o REX, hoc Tuo Regno, quo vix quidquam in fortunæ operibus, editum apud nos, hac tempestate maius, etsi Polonæ Genti idem præstiteris, quod gemma auro inclusa solet, quæ mutuum illi decus dat, & ab eo accipit, meritò tamen dubium adhuc inter mortales esse, ad quem plenum absolutumq; ex se bonum istud pertineat, cuius felicitas, vtrisq; è cælo data, maiore sui parte prior potiorq; sit. Nam & Tu, non ex Te solum, virtute & merito Magnus

& Augustus, dignum diademate verticem, sceptroque manum affers; sed Maiorum etiam Diuo è sanguine, non imparatus primusue, recentem hanc lucem aspicis, dudum in Regnatricis Domus Tuæ atrio appensas Coronas, diademata, Tiaras, triumphantium paludamenta, Purpuras, Sceptraq;, & obedientium populorum sacras suâ antiquitate imagines, recensere assuetus: vt sanè ipsis à fascijs ad Fasces, natus educatusq; videare. Et Polono Populo non nouum est, non solum à Patricijs regnari, natamq; domi virtutem, magno fortunarum, victoriarum, Gloriæq; prouentu, prout res factaq; docuere, in suo Throno collocatam, de genu venerari; sed ex se quoq; Reges exteris dare, tùm longinquitate secretas, ac penè incognitas gentes, tùm viciniores nobisq; conterminas, Regno complecti; sæpius victis, non rarò volentibus, imperare. Quippè post iacta stabilitaq; à Lecho Parente ac Præside nascentis tunc primùm Regni fundamenta, postquam auctis explicatisq; latè in continente viribus, quidquid obuium, contumax, & resistere ausum, freno imperij compescuimus; nonne, vt omne cælum ac mare, ita littora ac portus nobis patuere? Si omnis intra Baltin, intra Fennicos ac Codanos sinus, intra Cimbricam Chersonesum, intra Scandinauiam atq; Finlandiæ scopulos, sedibus suis populus exeat, nonne iura olim legesq; sibi dantem, Aquilam Sarmaticam, confitentibus licet magis, quàm volentibus animis, agnoscet? Et sanè, nisi rude illud literarum, agendisq; felicius, quàm scribendis Historijs intentum sæculum, duo propè sæcula è fastis nostris erasisset; plures haud dubiè Visimiros nostros, Danico Balticouè

æquori imperitâtes, hodie memoraſſemus legiſſe-
muſq;. Moſchouiã certè,nondũ in obliuionem eius
rei euntibus annis hominibusq; licet in ipſo frigo-
re, in vltimo ſecretoq; Septemtrione agat, primùm
armis, tùm deinde plena Vladiſlao facta deditio-
ne, noſtrum donum habuimus: Factumque erat,
vt hucuſq; habuiſſemus, ſi Gens, quanquam ſeruitu-
ti nata, & ad omne Libertatis veſtigium ferox, am-
plius tamen vitia noſtra, quam imperia ferre potu-
iſſet, nec nos pluſquam victores, illi minus, quàm
pro victis, ſeſe agnoſcerent; nec, quæ vetus que-
rela eſt,, in exitium noſtrum, lætitia, luxus, ſecun-
dæ res noſtræ, ex ijſque nunquam non in nobis
natus hoſtium contemptus, & ſecuritas, conſenſiſ-
ſent. Iam Pannones Hunnique, & quidquid gen-
tium Sauum, Drauam, Tibiſcumuè bibit, quoties
vltro Reges ſibi à nobis popoſcere? quoties impe-
rium noſtrum fuere? Porrò inclytam ſuo olim
Faſce ſceptroque Bohemiam, noſtræ etiam Liber-
tatis claritudine, captam, non ſemel nobis inuita-
tis atque accerſitis paruiſſe, ne longius referam,
recenſeamque velut communia noſtra decora, re-
ctè mones, o REX! Tuum enim iſtud proprium
decus eſt, auitum Tibi & debitum, quod primus
à GEDIMINO Auo, OLGERDOQ; Pa-
tre, Gentis KORIBVTEÆ Princeps, in Domum
Tuam Familiamq; intulit: Illud ex alto ordinan-
tibus fatis, vt germanis Fratribus, IAGELLO-
NE Poloniæ, KORYBVTO Bohemiæ, ſceptra
capeſſentibus, illo iam in ſuis Nepotibus vltimùm
moriente defluenteq;, hic renaſcens in Te rediui-
uuſq;, Fraternam ſceptri Polonici ſucceſſionem,
per dominatricis Libertatis manus, melioribus au-
ſpi-

ſpicijs, Tibi traderet conſignaretq́;. Quantum o! gloriæ pondus hoc! quanta belli paciſq; decorum! quanta oliuarum palmarumq; Te circumſtat meſſis! Dubitaueram ego, Tuanè hæc fælicitas, noſtrane maior eſſet? at cum primis Auguſtæ Domus Tuæ liminibus venerabundum ſtupentemq; greſſum infero; noſtram felicitatem, quibus frui iudiciorum noſtrorum fructu, collectâq; in vnum acie, priſcos Maieſtatis Polonæ vultus, in Te contueri liceat: Tuũ verò præmiũ potiùs quàm felicitatem appellare cogor, in quo omnia ab atauis Lithuaniæ Ducibus, omnia à IAGELLONE Tuo, poneque ſequentibus Regibus, toto latè viſenda Regno merita, iurè ac meritò quidem coronamus. Obſedere nos vndique ſuis beneficijs Maiores Tui, quacunque pedem ponimus ea calcamus, quocunque oculos conijcimus, in ea incurrimus, quocunque animos memoriamque protendimus, ea & colligimus, ſemper noua, & fruimur vt nouis, & pro ijs omnibus, cum referre gratiam Authoribus ſuis iam non poſſimus, Tibi vni, in quo omnes illi viuunt, quantum noſtra humilitas poteſt, referimus. VLADISLAORVM, CASIMIRORVM, SIGISMVNDORVM, haud perfunctoriè memoranda Nomina, affluente rerum immensá copia, diffuſam propè in immenſum Orationem deſiderant; niſi cum Faſtos impleuerint æternitatis, anguſtâ hâc paginâ, calamoq́; mortali circumſcribi ſe ſuccenſerent. Loquuntur ipſa, Orbemq́; ingenti famâ implent, Theutonica, Pruſſica, Gothica, Moſchouitica, Scythica, Othomanica trophæa: Loquuntur, quàcunq́; infeſtus nobis Oriens ac Septentrio porrigi-

tur, & hoſtilibus armis vtrumque latus cingit, peragratæ victorijs integræ Regiones, redactæ in poteſtatem magnæ Prouinciæ, calcatæ feraces gentibus Lunæ, ſpretæ formidatæ Orbi Aquilæ, territi & in ſpeluncas ſuas clauſtraq; coacti Leones, quidquid ſolitudini, vaſtitati, niuibus, frigoribus, feris, natura reliquit, compreſſum & nocendo inutile factum; exinde longe lateq; promoti amplificatiq; Regni fines, ampliſſime diducta Poloni nominis gloria & reuerentia: Omnia ipſorum quoq; Ciuium voto maiora, & veterum Imperatorum Ducumq; geſta & laudes ſupergreſſa. Incomparabilia hæc, & iam magnis Annalium monumentis, magnis ingenijs celebrata, ſatisq; nunquam pro merito celebranda, leuiſſimè inſinuaui; ſed pauca ex multis, quia noſtra tantum, Patriæq; iſti, hoc eſt, vni in Orbe Populo, parata in æuum ab ipſis bona. Quid? ſi in omni memoria atq; Gente, extenſam cum Sole Veſtri Sanguinis hæreditatem quæſiuero? ſi quidquid terrarum Auſter Occidensq; pandit? ſi tot remotas nationes, tot Regna, Principatus, Populos, omnes Veſtra cognatione innexos, luſtrauero? Fæcunda certè Imperatorum Regumq; Mater Auſtria, ſine Vobis fæcunda eſſe non potuit; & quotquot hodie Auguſtos Heroaſq; ſuos ab ERNESTO Archiduce numerat, non magis Auſtriaci illi à ſe, quàm Iagellonici Koributeiuè à Vobis dici poſſunt. Ita velociter armato Veſtro Equite, Europam peruaſiſtis vniuerſam: ita Lunam Veſtram & ſydera, & ab ijs deriuatos Serenitatis radios, per ſacratas Cæſarum Domos, per Germaniam, Hiſpaniam, Italiam, per Lotharingas, Mantuanas, Bauaricas, Palatinas,

ſtirpes

ſtirpes, abundantiſſimè diffudiſtis: ita ſummæ adoratæq; terris Proſapiæ, & quæ veterem Romanæ Maieſtatis gloriam nomenq; ſuſtentat adhuc, & quæ in Regnis ſuis Solem nunquam occidere gloriatur, & cui Chriſtianus Orbis Terram olim debuit Palæſtinam, & quæ ſui Authores Generis Palæologos clamat; intra Veſtram Domum cenſentur, Vobis, à ſequiore ſexu, ſplendores ſuos debent referuntq;. Quid amplius ſubeſſe cælo poterat? quid infra Lunæ orbem, ita Diuis proximũ, religio cultusq; gentium facere? quo Imperatorius iſte atq; Regius; iſte verè triumphalis, nulliuſq; ſuorum degeneri ignauiâ vnquam pollutus, tot Principum ſanguis, iſte bono mortalium datus non penetraret. Et tamen cum ita ad ſummum altitudinis faſtigium veniſſet, inuenit adhuc incremento locum, nè fines eius anguſtiores viderentur eſſe quàm mundi, mundi quoq; terminos ſuperauit. Petijt quippè cælum conſcenditq; in Diuo Indigete ſuo CASIMIRO, dum caſtiſſimos innocentiæ ſuæ flores, ipſaq; caſtitatis lilia, ex natali agro Iagellonico, eiuſmodi germinum feraci educatore atq; altore, in cæleſtis horti ſolum tranſplantauit. Accendit nouas ſyderibus faces, miſitq; domeſticam cælis ad decus ornatumq; dignitatem, in ODROWAZIO, STEMBERGIOQ; Diuis, quos vtriuſq; communio ſanguinis Koributeæ inſerta propagini, Tibi REX vindicat, & ex aſſe Tuos facit. Ergo quos alij à longè, aris, puluinaribus, flamine, colimus; quorum nobis nulla mentio, niſi inter Numina fit; Tu domi Tuæ habes: Non ad exigui commendationem temporis, productas velut in ſcenam, perſonataſq;, & verè non aliud

 quam

quàm fumoſas tantùm imagines: Non tanquam formatos à naturâ ad breue ſpectaculum, fluxos in àére ignes, coronas, arcus, Soleſque mox vt admirationem ſui fecerint, interituros: Non fabularũ mendacijs ſubnixos, originemuè ſuam Deucalionis ſanguini inuoluentes, ab inundatione etiam, ſi dijs placet, ſeruatos Maiores; ſed quos æternitas ipſa, iniurioſæ temporum vetuſtati ſubtraxit, fama rerum cælo terrâq; immortales fecit, humanâ maior magnitudo, non hominum tantum, ſed minorum quoque Heroum vulgo, exemit ſeparauitq;. Vt dulce eſt talibus immorantem Ceris, mellea, quorum illi Parentes erant, delibare ſæcula! mellea, quorum Tu Parens eris, augurari! neque id vane; illo ipſo publicæ fælicitatis, Tuæq; primùm Maieſtatis auſpice ſignatoreq; die, ipſis apibus ad mellificium Tuorum temporũ certatim conuolantibus, illo campo, (nota loquor) augurij fidem exoluente. Vt iuuat! ex eiuſmodi imaginibus, tot religionis, magnanimitatis, fortitudinis, Martiæ indolis roborisq;, ſuffecturos ad omne virtutis exẽplum colores, imò non iam virtutis exempla, ſed ipſam, humanos indutam vultus, legere diſcereq;! Vt delectat! longius Illuſtriſſimas vmbras, intentiusq; oratione proſequi! ſæpius defigere aciem, mentem, ſtylum, alios ex alijs occurrentes, longâ & interruptâ ſerie, Viris Viros, Heroes Heroibus lectos ſuccedenteſq; mirari, ſignare, oſtendere, diutiùs in hiſce Tuis penetralibus, in Capitolio triumphali, inter Palmas & Laurus commorari. Quid enim? cum proximè ad Viſnouecios, Zbaraſios, Poryccios, Voronecios, omnes Koributei nominis inuictos Duces, quorum nunquam virtutis aut

fortu-

fortunæ nos pænituit, ventum eſt? quid video? niſi ex veſtigijs eorum naſci Laurus, ad fortunata prælia coniuratos venire Diuos, quot facta, tot miracula exhiberi. Quid? niſi Marti Bellonæq; habitatos vultus, & nobilem iram, in ſolos DEI Patriæue hoſtes, ſpirantia ora; niſi ſecutam ſemper illorum arma, ſignaque militaria, victoriam, eâ fati lege, vt nunquam effugerit, & ſi maxime potuiſſet effugere, vt nunquam voluiſſet. Video contectos cædibus campos, Boriſthenem & Tyram, Hipanim & Prutum, cruentatos, feroces Getas, Dacos, Bulgaros, vltra ſuam Beſſarabiam Scythicaſque ſolitudines, & totam immanem prope vaſtitatem circumiacentis ſoli, abactos profligatoſque. Audio deſperationem, vltimoſque pereuntium barbarorum fremitus, inter cumulos corporum armorumque, inter tabem ſanguinis inconditas voces, admixtam his læto clamore alacritatem vincentium; cuncta, æque patria ac infeſta, ingens KORIBVTI nomen, ingentem nominis gloriam reſonantia. Qui illi, ſanguine, fortitudine, iuuentæ & animi vigore pares VISNOVECII! vnâ acie Tamerlanē, totis Aſiæ virib⁹ opibuſq; ſubnixū ſuſtinentes! quomodo immemores ſui, memores gloriæ, inter implicata aut fluitantia ſigna, inter denſos cōfertoſque cuneos, deuotis corporibus prouolant! quomodo effluētibus laſſitudine viribus, maiore gloriâ quam gaudio, victoriā ſuo ipſi ſanguine ſignant licitāturq;: in omnibus Decijs pares, ſucceſſu in publicum etiam maiores. Quis ille ALEXANDER, Magno fortunâ non virtute minor? en ad Orininum, ardenti equo ardentior ipſe, hac illâc fulminis inſtar volitat! Scythas tranſuerſos

aut obuios, quacunque datur, proruit, fundit, disijcit, atque vt solent fortissimi, cædendo fessus, cadere mauult quam cedere! Quem dicam? aut quâ cæli parte locabo DEMETRIVM, terris omnibus altiorem? illum ex vnco Constantinopoli pendentem: nec vsque ad mortem tantum, sed aliquod etiam in ipsâ morte prodigiosæ fortitudinis experimentum, barbaris dantem! Deserebat eum vita, non animus, non constantia, mori coactus vinci non potest, intentat adhuc minas in hostem & vulnera: postulato quippe arcu, tendit neruum, fortiter implet, destinat certam in pectore barbari Bassæ metam, oculo manuque ad ictum consentiente, sagittam mittit, transfigit, conficit, sternit; alibi toties Turcarum, hîc semel naturæ ipsius triumphator, alibi hostes virtute, hîc omnes ante se Heroes exemplo vicit. Aliò me vocat, libentemque moratur, plenum numerosâ gloria & iucundo horrore spectaculum: Hi detonantem aliquoties in nos, hostilium armorum tempestatem, in seipsos deriuant auertuntque, bellum publicum suum faciunt, quò studium eorum in Rempublicam, animusque excelsus clariùs existeret, priuato sumptu, promptâ de suo beneficentiâ, non legiones, centuriasue, sed integros exercitus hosti opponunt: Illi in præmium mercedemque bonorum Reipublicæ, prout aliquis in pace aut bello enituit, amplas possessiones & patrimonia distribuunt: Alij triumphantium in morem Byzantium inuecti, suspiciendum superbo Orientis Tyranno, Polonum nomen, pari splendore & animi magnitudine ferunt, nullis ex publico adiuti opibus, nusquam gloriosiori impendio, Regiam magnificentiam,

Re-

Regiam gazam oſtentantes ſpargenteſq; : quibus ſi tunc Regius honor defuit, certè non dignitas. Alij publicæ pacis ſuâ iacturâ Feciales, ipſa quæ eam morarentur, officerentq; bono Patriæ, oppida in planum agunt, non priuatas in Veliâ ædes, quod Romæ æternæ laudi Valerio habitum, ſed magni ſumptus magnorumq; redituum loca, ſine ſupercilio, ſine rugis demolientes. Omnes ſimul, confinijs barbarorum & indomitorum populorum cincti, velut fato ad eam gloriam reſeruati, vt pro communibus aris fociſq; ſoli excubarent, vt vigilantibus illis Antipatris, ſecurè dormiret Patria, illiq; primi pericula noſtra exciperent, nos periculis illorum tuti ac felices viueremus. Dico hæc, tenuis grandium laudator, non fuco ad placendum ſubornato, ſed fide & conſcientiâ generis humani, ex publico abundè ſuam accipientia memoriam & famam, nec tàm mihi verendum eſt, REX, nè in laudibus Tuorum, nimius apud Te videar, quàm nè parcus & ſterilis, cum nihil in alijs par ſimileuè, inueniam. Rideo enim, rideo, quanquam indignari æquius eſt, quoties multos, ſuæ tantum fortunæ mole inſignes, prædicari audio legoq;, feroces, & diſcrimina laceſſentes, cùm vtiq; illa abſunt, victores populorum, quos nunquam vidiſſent, aut ſi aliquid antea præliorum, illud ſpecillis tantùm vidiſſent, ſpectaſſentq; velut è portu aliorum naufragia : quoties adulatores, ſeruum pecus, inuictos animos molliſſimis hominibus dare, & militari fronde pacifica capita coronare. Hoc profectò plus eſt, quàm mendacio ſtaturam adiuuare, & non laus iſta, ſed luſus, & ignauiæ exprobratio eſt. Cùm VISNOVECIORVM gratam mentionem te-

ſtamur, cùm ingentia ipſorum facta, ipſoſq; poſteritati commendatum imus; non eſt periculum, vt iſtiuſmodi artis ludibria & Eloquentiæ dehoneſtamenta adhibeamus: Superant facta artem, longeq; ſcriptoris induſtria eſt ab Authoribus rerum, quidquid de illis dicendum habeas, ita dici debet, nè idem illud de alijs dici potuiſſe videatur; quia non à quoquam geri poſſunt, quæ illi præſtitere. Præſtitiſſe verò vnum quis credet? niſi VISNOVECIVM: vnum ingentium capacem hiſtoriarũ, tantoq; maiorem omnibus, quantò cumulatius omnium vnus decora collegit in ſe, omnium vnus abſoluit conſummauitq;. Aude, calame! nominare Virum, per tot Imperatorum, Regum, Ducumq; velut detritos à virtute calles, eluctatus, nitere adhuc in altum, ſuſpice, & imitare ardua aggreſſos, etiamſi decidunt, magna conantes. Iam mihi ipſe de Throno annuere videris, REX, & ſubmittere Faſces Regios iſti Nomini, quod dudũ dicere geſtio, cuius immortalibus meritis Te Regem debemus, quod leui prædicatione, vel tranſilire vel præteruehi, cuiquam Polono, non turpe tantum, ſed nefas etiam eſt. Hic, hic, INVICTISSIMVS Parens Tuus, HIEREMIAS eſt, cui, iamdudum radiatum caput, & media inter Reges ſedes, auro ſtare aut ebore, auguſtiorique cultu, & grandioribus votis celebrari deberet; niſi Tu votis noſtris occurriſſes, in quo, vt Patrem agnoſcimus, ita eundem à Te exigimus expectamuſque. Quid ſimile, ludicra fabularum commenta, in veſtro Hercule, Achille, Hectore, effingere potuiſtis! poſtquam vera Magni HIEREMIÆ virtus, & fabuloſis nominibus

fidem fecit, & sæculum nostrum inuidentiâ prioris liberauit. Angusta & illa nomina sunt, Camilli, Scipionis, Marcelli: quos non quidem immeritò sed nimis, nec tam sine causâ, quàm sine modo fineque, antiquitati laudatos, nil moramur, quando tot gestorum miraculis, in vno illo, haud inferiores, verius iactare possumus, Visnouecias laudes nulli non magnitudini, nullis non exemplis pares esse. Adæquare illas dicendo nemo poterit, nisi qui sigillatim, & fidelissimè narrauerit; & narrare non poterit Historicus, quin ipsorum numeroso circuitu ambituque facinorum, ipsaq; cum amplitudine rerum, crescente vi ingenij, velit nolit, Orator fiat. Vetera non commemoro, id est prima POLONI HERCVLIS HIEREMIÆ Martialium operum rudimenta, non annis distinguenda, sed victorijs. Vt illo animi vigore! illo ætatis! ad tonitrua belli impauidus, vincendi indefessus, Magno Regi VLADISLAO, dignus vterque, & Imperatori Miles, & Militi Imperator; obtigisset. Horum quippe memoriam, ipsa felicitas non tam absoluit, quam distulit, & velut interiecta aduersorum nube abscondit. Sed postquam Regum Maximus, Cælo additus, atque VLADISLAVIANA iã tẽpora, cũ Sole suo occiderãt, (magnitudo cladium facit vt meminerimus) postquam, post victorias, species victi Regni, & tot casuum, funestarumque tempestatum myriades, superuenere, & cum his, maximum liberrimæ Gentis dedecus, bella seruorum: Quis Horatius Cocles, rebellem illam colluuiem, totamque sedibus suis excitãm in nos Tauricam, sustinuit? & ne viscera corque Regni peteret, solo pectoris sui op-

 positu

positu ſtitit à curritque? Quis Scipio, felix vbique & victor ſemper, veſanos lymphatico furore hoſtes repreſſit? magnâ ſuâ & fatali rebellibus fortunâ, & ſemper in malis maiore. Quis tunc Camillus, ſeruatæ decus Patriæ, præ illo tulit? Parenſque ac conditor alter Imperij, non militaribus tantùm, quos inconditos iaciunt, iocis, nec vanis vulgi laudibus, ſed plenâ, per Orbem perſonanteque famâ, ſupremi vſque in terris Oraculi voce appellatus? Boni ſuperi! cur aut cæleſtẽ Viro animũ, aut mortale pus dediſtis? aut cur humanæ laudis limites exceſ-ſiſſe, non impunè fuit? Merebaris, Magne HIEREMIA! implere ætatem tot annis, quot impleuiſti meritis, tot præmiorum cumulis, quot cumulaſti labores; vel ſaltim hâc, quam fruendam nobis ex Te felicitatem reliquiſti, ipſe ſimul nobiſcum, ſed excellentius, quia intimius, & magis legitimo iure, quia paterno, frui: videreque tot Ciuicas, Obſidionales, Caſtrenſes Coronas Tuas in vnico Sereniſſimi Filij Regio diademate, magis conſpicuas relucenteſque, Merebaris iſta, magniſque decurrebas paſſibus, quacunque ſe amplior virtuti & gloriæ porrigebat Orbis; cùm natura, quò Herculem ex pleno âbundantique faceret, non ſolum Tuos quoque habere Te voluit Euriſtheos, ſed iam currere plus vltra prohibuit, & poſuit metas. Tibi, Tibi, Sereniſſime MICHAEL! plus vltra datum eſt, maiorque impoſita neceſſitas diligentiæ, imitandi priorem, qui ſequeris, vt pulcherrimam Patriæ virtutis hæreditatem augeas, donec ſuperes etiàm vincaſque: vt quandoquidem à DEO datus es, vnam itemque certiſſimam Diuinitatis fidem, Parenti etiam Tuo aſſeras, Te ipſo

Opti-

Optimo, Maximo ſucceſſore. Nunc illum ſydera pererrantem, immixtum Iagellonibus Koributiſq; ſuis, quanto gaudio frui exiſtimas! Cum videt Te, non tàm ex ſe viuentem, vti exemplo Maiorum, æmulari virtutes, ad commemorationem earum excitari, ex magnitudine earum ſpiritum ducere; quàm ex nobis regnantem, ſceptro iam atque Coronâ, quàm antea ferro galeaque potentius ornatum, non nudâ Maieſtate, ſed iam optimis moribus, populo ius dicere, iam res gerere, iam noua & meliora Patriæ fata moliri. Quam lætum illi? quod comparatus Tibi vincitur, agnoſcitque, ab ijs, quos toties manu ſuâ ſeruauerat, plus iam ſibi pro Te Solo deberi. Agnoſce & Tu, ô REX, quantùm Tuo iſti Miltiadi, eiuſq; trophæis, quàm ingentem gloriæ ardorem ſitimque debeas! non aliâs illuſtrius abundantiuſque explendam, quàm dum magno ab eo accepto genere, maius ipſe inchoas faciſque, âd eum exercendæ explicandæque virtutis locum prouectus, in quo omnia Tua, minima, maxima, omnium erunt, nec magis ad Te, quam ad Rempublicam pertinebunt. Nam profectò, qui in excelſo, adeoq; in Solio ætatem degunt, eorum Fortunæ Maieſtas, velut in Sole, nihil obſcurum arcanumuè eſſe apud homines ſinit. Alia ſpecioſo licet obtentu velata, facta ipſa arguunt produntq;: in multis, indiſcreta Magnorum pediſſequa, haud ſemper errat Fama; quæ quæ hoc quoq; nomine, meritò malum audit quod in aduerſum gliſcat, contraq; nitatur: quantò intentior vigilantia, tantò illa irritari magis, & interdum falſis accedere incrementum & fides. Ideo etiam de longiſſimi temporis ſpatijs, æuique

 post

post se magnitudine assequendà, nullorum magis, quàm Principum vsibus accommodatior cogitatio est: quorum sæpe oculi voluptate & torpore languidi, atque assentationum nubilo hebetati, quanquam in multâ luce & splendore, adeò tamen conspectum non præstant, vt nec præsentium hominum de se iudicium vereantur, nec venturorum futuram famam & existimationem. Qui si se omnibus horis esse in amplissimo Theatro, in luce tot tantarũque Gentiũ, in auribus tot finitimorum populorum, pluribus ad exemplum quàm imperium positos, quoquo versum longissimè latissimèq; conspicuos, aduerterent reputarentque sæpius ex vultu & eo quod adest, ad occiput atque id quod instat futurique æui memoriam, oculis translatis, ne quem habitum absurdum, motum inconcinnum, flexum indecorum, posteris relinquerent, anxiâ & peruigili cautione obseruarent præuiderentque. Scilicet, vtcunque se præclare gesserint, hoc illicium esse, quo in præmium rapiantur, aut si quâ in re, trans recti decoriq; lineam iuerint, hoc Tribunal, cui reddant rationem. Quanquam me ista aud Te differentem, subit cogitatio, nullam Gloriæ, & illustrium exemplorum, & publicæ Famæ lucem, parem cogitari posse illi, quã Tu domesticã habuisti, quam simul cum vitali hâc aspexisti, quam inter vagitus & ante literas paruulus didicisti; ideoq; illam ita oculos Tuos, augustiq; pectoris sedem, iam inde à cunis incoluisse, vt nihil quod atrum clausumue sit, nihil quod à publico separatum, facere possis ac sentire. Formauêre animum hunc, Regiæ Fortunæ ab alto designatum, illa inter tympana ac tubas nutrita vi-

illud

illud venerationis, cultus, comitatisq;, amplissimum tunc quasi quoddam & Tuum Regnum, illa Paternæ Maternæque aulæ disciplrna, digna Polonæ iuuentutis, & fortium Virorum Militiæque Illustrium Palæstra; illinc VISNOVECIORVM, hinc ZAMOSCIORVM triumphalia ornamenta, paribus vtrinque illigata nexibus: Non Græcis, non Romanis opus Tibi erat exemplis, cùm paria domestici Lares, illustrius darent. Igitur quemadmodum Herculi contigit, à Matris vtero fortem esse, & vincere; ita nos Tibi vero Alcidarum Sanguini, optabamus cunas viriles: Cùm Tu ex angustijs & vmbrâ illarum elapsus, anteuertisti etiam vota nostra, iam tunc inter nuces & crepundia, nihil potius quàm excidia vrbium, commissas acies & perruptas, sonantia arma virosque, ac Triumphos Tuorum audire; ad ea attolli, assurgere, & animo commoueri, solitus esses; vt solent ad indomabilis matris aspectum, catuli Leonum. Hi in Te emicabant venturæ Serenitatis radij, ex his nos, certius magnitudinis Tuæ Augurium, petebamus promebamusque, quam priscorum afferebat extispicium, quàm præpes ales, quam solistima tripudia, quam aliquod horoscopon, & ludicra vel cæli mendacia, vel illorum, quibus longiùs ac latiùs per cælestia expatiantibus, non semel contingit, toto prorsus cælo aberrare. Ferenda demum erant & innoxio capite luenda Polona fata: Tulisti ijs temporibus, quibus præmaturas Reipublicæ inferias, ac non mortis tantum carmen canebamus; Cum seruili scelere auitis euolutus bonis, amplissimi patrimonij ingentiumq; opum modò Dominus, non alias tandem certio-

res suscepisti, quàm solùm, quæ Patrem dignum maximis fecerunt, merita & virtutem. Seruabaris per ea pericula, fermè miraculo; nec opus erat renouari in Te exempla Iosue, inhiberique cursu suo Solem & sydera, cùm oculi DEI, quorum Sol & sydera vmbra sunt, starent semper fixi supra Te, intentique arcano suo, humanis maiora consilijs ac destinatis, de Te agitarent. Ne magnarum rerum oneri succumberes, maluit Te Fortuna in castris suis habere, quàm delicijs: nunquam molli virtutis documento. Verum robur Te colligere, & obsequio ad Imperium, per vsum aduersorum ad secunda, venire voluit; vt dignus caperes quæ Tibi munera, quas trabeas parturit. Non fuit hæc illius sæuitia, sed certamen; imò experimentum, vt certa esset, quàm benè humeris Tuis sederet Imperium, quàm scitè sceptra fascesque manibus tractares, quàm firmiter valenterque Coronam capite sustineres. Sed & felix, nec suo omine vacuum fuit, hoc experimentum. Quidni enim iure dicere possum? Pro eo quod à Fortunâ visus fuisti derelictus, qui ponendus eras in superbiam nostri sæculi, gaudium vniuersæ plebis, verè mamillâ Regum lactatus es, & erant Reges nutritij Tui, & Reginæ nutrices Tuæ. Simulac enim Diuus Parens Tuus his terris excessit, resque mortales destituit; habuisti, quem Parentis Tibi loco DEVS mandauerat, cui cultam eruditamque iuuentam in acceptis ferres, apud quem Regias dotes, Regium spiritum geniumque indueres, Serenissimum PRINCIPEM CAROLVM, iam tum gaudia amoresque nostros in Te prælibantem. Habuisti demum Sarmaticam Semiramidem, LV-

DO-

DOVICAM REGINAM, ſupra ſexum, etiamque viros, animorum perſpicacem, cuius inuidioſis laudibus, hic quoque cumulus accedat neceſſe eſt, quod cum maxima quæque ſcire deſideraſſet, non ignorauit rem præclariſſimam, Meritum Tuũ. Dicamne hic? ſub tantorum Nominum oculis atque magiſterio, quibus ſtudijs exegiſti adoleſcentiam, priuſquam illibatam animi pacem grauiores curæ deterſiſſent: Vt in Teipſum ſtatim egiſti Principem, qui in alios acturus eras Parentem, vt Te in poteſtate habuiſti, conſulere aſſuetus rationem, priuſquam aliquid velle auſis aut nolle, vt ſemper pollicitus es maiora, cum maxima exhiberes. Nunquam de vitijs molliter ſenſiſti, nunquam contumaciam in peruerſa nitentem, aut leuitatem ſemper alio tranſilientem, aut temeritatem præcipitem, aut torporem, cæteraque mentium mala, amplexus, non ſuperbia inflatus, non cupiditatibus diſtentus, non voluptatum ignobilitate priuatam ſortem imitatus. Inde regnandi artem, præceptorum pleniſſimam, & ex cuius erratis omnium pernicies pendet, vtiliter probeq; didiciſti, dum à Te ipſo inchoaſti: nec dubita, populorum quoque fortunam, Futuram artem Tuam, ſi exemplum Tuum impauidus ſequaris, nec à Te, quem omnes ſuſpiciunt, vnquam diſcedas. Pudeat illos, omnium iam ſæculorum infamiâ damnatos, qui flentibus populis læti, & ruinâ Ciuium feliciores, quàm hoſtium, Principes cum maximè videri volebant, minime erant, erant autem, Satyrâ quàm Panegyri digniores. Qui vilem ſpernendamq; ſuam potentiam rati, niſi, quos illuſtrabat, vreret, etiam conſumeretq;; cùm ſe totos per-

misere Fortunæ, primùm sui, deinde omnium oblitì, postremò etiam naturam dedocti, in eos tandem errorum scopulos impegere, quos veloci pede consecuta Patriæ suæ vastitas, & nonnisi probrosa peccantibus, illisq;, qui periere, prorsus inutilis pænitentia; aut sæpe & ipsius pænitentiæ verecundia. Tu, REX, ita ab ineunte ætate institutus doctusq; es, vt semper alium Te esse sentiremus, non quem Fortuna ostendit: inter blandimenta eius innoxium, & nusquam conniuentem, inter tot Maiorum fastos nullo fastu, inter vaferrima ingenia & plerumq; timenda intaminatum, securum inter togatorum latrocinia, tempestates, naufragia; Syrenes etiam, quæ faciliores quosq; alliciunt, & nonnisi perire volentibus placent. Magnum hoc, priuatim, vel in priuato, vel qui ad non suæ spei & claritudinis Nomen dignitatemq; elatus, maioribus fatis quàm ex Parentibus nascendo, compareat. At, Tibi, qui vix natus, habuisti inter homines causam celebritatis & Nominis, at in patenti omnium ore luceq; Fori, at in magnâ Aulâ, virtutem nec allidere nec abscondere, tantò gloriosius, quantò in alijs opinione asperius, & arduum factu est, & nonnisi Tuum fuit, Tuiq; similium. Inuenisti eò loci semper amorem, vbi satis abundeque est, vitare odium, vbi sine discrimine felicem esse non licet, vbi vsque adeò omnia odijs patent, vt ipsa nuda veritas, licet formosissimam dicant, amatores tamen plerumque non inueniat. Quid? si, quod omnium liberrimum est, amare & odisse iubeare, & aduersas res adumbrata lætitia abscondere, & dissimiles animo vultus, pro re ac loco sumere ponereque, & nus-

quam

quam vnum hominem agere. Quid? vbi in tanto falsorum fallentiumq; populo, nemo est, qui non verendus suspectandusq; iure sit. Alius, quem declinasse vellem, inuito occurit; alius intempestiuo officio, longis & inanibus fabulis aures obtundens, dum se mereri putat, lædit; alius, dum humilitatem suam, maioribus vult nobilitare nominibus, fastidientem & refugientem ambit, salutat, deducit, quem nec rectè admittas, nec honestè fugias. Iam illa callida & subdola ingenia, quæ ingentis amicitiæ speciem, & vetera nomina, imposturis suis obtundunt, intereà pestiferà comitate, quidquid intus est, pertentant, explorant, verba, verborũq; circuitus malignè detorquent, qui fœdâ simulatione sui, familiarissimam cuiq; bono virtutem excutiunt, simplicitatem. Adeò verissimum est, plagam hanc, ventorum Regionem esse, plenam scopulis, Syrtibus, immanibus cetis, quibus esca piscium vulgus, sed maximè animalibus plenam amphibijs. Quisquamne hic fuit, ita satis prudens cautusq;? quin offenderit? quin cespitauerit? Quisquamne innocentiam, & custoditum integrè decus extulerit? Fuisse Te spectauimus, REX, & ex sterilibus auenis virentia culta messuisse collegisseq;, è venenis tulisse antidota, è tot nocentium prauorumq; conspectu, multa bona ad vsum Tuum, multa ad bonum nostrum, in arcanum pectoris, nunc euoluendum, seposuisse. Fecisti in hoc versatili omnis prudentiæ Theatro, difficilem scenam, Te Actore, omnium plausu, omnium amoribus dignam; Scyllam hanc præternauigasti, nec abreptus es; Circes poculum bibisti, nec mutatus; per subiectos doloso cineri ignes incessisti, nec ambustus es. Adeò

 cum

cum laudanda cuncta faceres, nil erat ex his, quod amici Tui excusandum haberent, nil inimici insectandum, nihil Tu ipse pænitendum. Secutus enim es præsentem Tibi semper Deum, rigidus in omnibus honesti exactor, nulli humanæ necessitudini legiuè, ante Æternam, nulli commodo bonoq;, ante Summum, addictus, & famam multùm, at maxime conscientiam reueritus. Odisti naturâ inimicas virtutibus artes, & doctrinam Deos spernentem, & illam pietatem, fortunæ pro tempore & loco obsecundantem; quæ amat speciosâ sui incrustatione Orbem ludere, eorum, quæ alias non necessitate, sed recte faciendi consuetudine, perinde vt vetita seruantur, plerisq; gratiam facere, fraudem simili affiniq; virtutis lenocinio ac colore oblinere, integumento candoris ac sinceritatis obuoluere; vno digito cælum diuinaq; monstrare, atq; totis manibus terram ambire, premere, aggerere, & inter homines, nil magis quàm humana miscere agitareq;. Nam hoc etiam apud Te, REX, qui pietatem mente purâ, animo innocenti, vitâ probâ profiteris, dicere liceat; in hac quoque Cedro suos latere vermiculos, & infelicis sæculi genio (quod non nemo dixit) nullâ viâ magis, quàm publicâ, religiosâ & sacrâ, errores & secùs admissa irrepere: inde alia alijs nequiora, velut serie iuncta copulataque venire solere, ambitionem, petulantiam, antiqui moris contemptum, Diuûm negligentiam, timoris pietatisque obliuionem, iniurias in gloriam, atq; ius etiam honestumque translatas, & cupiditates eiusmodi, quas rectus & similis Tui iudex, nunquam absoluerit. His Tu pridem intactus, & aduersum munitus es, sponte naturæ, & ingenio,

quale

quale Gentium votis decet esse propitium, fraudibus imperuio, aperto virtutibus, solis vitijs clauso. Ideò non feres fucum vllum in purpurâ; colorem respues in animo, cælo cum sudum est, simillimo; in tantâ luce tenebras ad suam regionem latibulaque damnabis. Hoc fulcrum erit magnitudinis Tuæ, hoc Te veneratione implebit apud Orbem, hoc tutum sanctumque præstabit; dum in fastigio positus, non magis magnus, quàm probus audire, desiderabis; dum potentiam iustitiâ moderaberis terrorem in hostes, amorem in Ciues exercebis; dum Solis instar, æquali semper splendore placidoque conspicuus, fortunis humilioribus paruisque ignibus, permittes tranquillè ducere suam noctem. Vnum Te Deus donauit omnibus, vni Tibi omnes, si benè vti viribus istis amas, ne quidquam ad Diuinam propius naturam accedere puta, quàm vt vnus omnibus prosis. Ecce vix bellis, quàm sæuâ pace miserior oppressa plebs, vix iam quid amittat habet: ecce Parentem Te Patriæ inclamat, sis quod vocaris, & serua Serenissimum titulum: quem vtut alijs assentandi necessitas, aut publica emendi talia vendendiq; consuetudo, affingere soleat, sola tamen discernit, & verum mansurumq; facit, nonnisi conscientia populorum, æternitas temporum, Fama rerum factorumq;. Fædè inflatur caput, si vt pinguedinem suam augeat, reliquum corpus languet, membraq; squallore, macie, neglectu, deficiunt: nec minus miserè regnatur in vacuos Ciues, vbi egeni, inopiæ suæ pænas, apud Principem luunt, nouisq; sæuitiæ artibus, macilenti, exsucci, & exangues, sanguinem largius effundere iubentur. Quanto melius pulchriusq;, Superûm

 mo-

more, calamitoſos propitium reſpicere, ſecuritatē, beatam, altam, affluentem, donare, ius ſupra omnē iniuriam poſitum diſpenſare, vtq; Pius, Auguſtus, Felix, ex merito dicaris, felicibus imperare. Habemus bonorum iſtorum, certam non iam tantum ſpem, ſed ſpei fiduciam ex Te, qui eundem Genium Deoſq; eoſdem, in conſilio iam habes, ad regendam Rempublicam, quos ad capeſſendam, habuiſti: talemq; Te Ciuibus Tuis Regem, præſtare incipis & laboras, qualem Ciuis optaſti, non malis meliorem, ſed optimis parem. Habes & Tu ex nobis, paratam felicitati Tuæ, materiam & inſtrumentum, quando in omnium ore, oculis, animo, ſedentem lætitiam, & conſentientes cum animis gratulantium, vultus, & effuſas ad nutum Tuum voluntates legis, & gaudens ipſe vſurpas. Sicut enim his tot millibus mortalium, non fuit ille ſine ratione conſenſus, dicendi Te ſalutandique Regem, & ſe ſuaque ante Tuos iactandi Faſces; ita nunc vnum omnium certamen eſt, vna contentio. quis pronioribus officijs, ſuam imperanti approbet fidem, quis reuerentius ſubditum agat, quis libentius iuſſa excipiat; quia nihil iubes, quod publicè non ſit ſalutare. Credunt plerique, prout in Libertate nunquam deeſt, quod accuſetur, & haud ſemel conſtat, aſpernatos populos, quæ iubebantur, nuſquam arctius Reges, quā in Polonia agere, & ingentia quæque cæpia atq; optima moliendi, in publico, rationē in arduo ſemper; Ex quo Libertas, cui ſapientia, æquitas, moderatio, omneſque aliæ bonæ Maiorum artes innitebantur, nunc cæteris anteferri, atq; inter prima haberi cæpit. Inde nihil illâ ad conſentiendum

dum difficilius esse, nihil consultorum consiliorumuè vigori magis aduersum, quemq;, ne alienæ sententiæ indigens videatur, ad sua tendere, quàm maximè in Republicâ velle valere, iussa ab alio vetare, vetita iubere, prorsus homines inter se committi, impare prudentiâ, pari omnium iure, nihil tam varium & inæquale, quam ipsam Ciuium æqualitatem. Obganniant hæc, nigræ aliàs mentes, quæ interdiu hebetiores, obscuro tantum nubiloque cernunt clariùs. Atqui perspicacius attentiusque rem considerando, contra reperias: fabrum esse quemque suæ in Throno Maiestatis, & promptioris subditorum, obsequij: tunc si cui vigor & industria, & solers Liberis regnandi Populis scientia adfuit, ei cuncta in Regno obediuisse, & nusquam tædium Libertatis Sceptrorumuè contigisse. Ad hæc, ingenium cuiusque noscere, illi in procliui esse; virtutes, vt facillime gignantur, facere, optimè æstimando; nec alium deinde, aut pluris emere, aut minus extollere, quam qui talia maximè meruit. Sed inter hæc omnia, fortissimũ ipsi, in id quod velit, adiumentũ, præstoque esse, & maximã, quasi vnus imperitet, potentiam ac munimentum, compendio parari posse, id est amore in istã Patriã, bonam Matrem, amore in Ciues; Qui profecto postquam aduertere probauereque, larem illius, affectum populorum esse, Aulam, ipsam Rempublicam, Palatium non aliud, extra vniuersam Poloniam: incredibile dictu esse, quantum licet in dissensu, Maiestati fidi & obsequentes, priuatis eam cacaritatibus teneriùs ament tueanturque. Et profecto talibus Principum nostrorum animis, quamdiu durauêre, inuicti florentesq; fuim⁹, nũquã pace,

 nunquam

nunquam bello etiam, motisque cum Deo, pro solâ Patriâ armis, laborauimus. Omnia prona victoribus; nisi cùm aliorsùm, magni sed inutiles spiritus, versi directiq; sunt, tûm demùm propriâ experientiâ (vah! quàm misera veritatis schola) didicimus; toties Deum non militasse nobis, quoties nec Deo militauimus, nec Patriæ. Sed eæ res longiùs me traherent diuerterentq;: nunc ad Te, Regum Optime, redeundum est, inter Liberos natum, atq; sic Genti omnino Liberæ, imperare abundè scientem, facileq; verum futurum Patrem Patriæ; quia verus antè Filius extitisti. Vt nemo detrectet imperium, benè illud firmasti, omnium mentibus illigatus & immixtus: vt nemo imbecillum atq; caducum credat, solidas & mansuras sedes, & ea munimenta occupasti, quibus, non arces Carthaginis, non Capitolij insanas substructiones, & cælo certantia culmina contuleris. Habeant res suas sibi, qui regnare gaudent, execrantibus cunctis, atq; vota, alia publicè, alia priuatim nuncupantibus; qui simulac noxium caput infaustamq; frontem ostentarunt, sæuitiam ac terrorem loquuntur, ideoq; publici odij scopus & argumentum, custodiam suam ipsi pauent: emptos Historicos superat eorum numerus, qui odere, exteri pariter ac sui, diris deuouent, plebs aliena est, etiam cadauera eorum inuisa. Iam Te nos, REX, à fronte, à tergo, à lateribus, obuium præcurrimus, sequimur, comitamur; non timoris obsequijs, sed votis pietatis; non ad custodis formulam præscriptis verbis, sed liberrimo sinceroq; cultu; non necessitate & coactu, sed bonitatis ac moderationis Tuæ, Regiarũq; virtutũ, reuerentiâ & amore. Non iam

Te

Te, sed pro Te metuimus, cuius quàm maximè interest, de sua fortunâ neminem queri: in cuius manu positum est, pluresne sæculum Tuum ferat Catones, an Clodios, Tullios an Vatinios. Nulli malo, Te REGE, licebit esse felicem, nulli bono, continget esse miserum; sua cuiq; constabit, non ex solâ conscientiâ, merces; nec malus pro bono, Tibi subrepet, nec bonus pro malo displicebit. Nã sæpissimè profectò accidit, vt humilē animorũ fæcē illustris fucus obtegat, oculisq; mortaliũ imponat: non aliter, quàm stellarũ speciem mentiuntur fatui ignes, & sub candidis Olor plumis atram carnem fætentemque abscondit, nec ipsis anguibus, pulcherrimum veneni tegmen, versicolore tergo, & squammis fulgentibus deest. Hinc toties fucis parari pastum quem ignaui consumant, apes autem in ipsis operibus natas, nè quidèm parto per laborē melle, quietè securèque vesci posse. Hinc illud informe chaos, in quo summis ima confunduntur; quin etiam, hæc in altùm indignissimè feruntur, illa pedibus calcantur: quasi inde Magnarum Potestatum fastigia Cælo æquentur, quod in illis quoque Venus Stellam habeat, Minerua non habeat, & supra omnium capita, splendeant Scorpiones, Corui, Vrsæ, Hydræ, dignæ, non purissimâ Syderum luce ad memoriam, sed tenebris, ad perpetuam rei obliuionem. Sed Tibi, REX, summum rerum iudicium, & mentem Diuini humanique iuris intelligentem, satis maturè & prope ab ætatis exordio, velut generosioris arboris plantæ, quæ stãtim cum fructu est, Superi dedere. Nunc istas dotes amplisſime exercebis; cum æquus omnium Iudex & cognitor, quantus quisque sit, vera

râ æſtimatione trutinaque perpendes, & nunc demum, ex vero meritoq; appellabere MICHAEL; non magis Gladio decorus, quàm Libra armatus, Quid iam aliud, optimis hiſce ſanctiſsimiſque moribus, niſi par temporum placiditas debetur? Malumus quippe, Te felici frui, quàm vti ſtrenuo, & quanquam vtraque Tibi, Togæ & Sagi decora, illuſtribus experimentis probata, ex æquo ſuppetunt; prudentiam tamen, animi magnitudinem, æquitatem, clementiam, moderationem Tuam, proſperis in rebus, continenter amare; fortitudinem in dubijs, nunquam mirari. Hoc vnicum, dum pro Te, & pro ipſis, quæ ſuccceſsere, votis, vota facimus, hoc (inquam) vnicum, maxime Superos & calidiſsime precamur, non vt eiuſmodi imperium habeas, quo pluribus vrbibus, quã hominibus imperes; non vt vincendo ſolitudinem facias; non vt inter triumphos Tuos, euerſam Patriam, proſtrataſque Magnas virtutes, numerare cogaris; ſed vt dulces pacis delicias, & mel, quod Regio Nomine concludis, vbique, & in omnes diffundas; in tantùm viribus valeas, & nemo auſit; in tantùm gratiâ, vt nemo velit, hoſtem ſe profiteri: Vt quemadmodum Electorali nuper campo, dum Imperij Polonici pomum, prope euaſerat diſcordiarum malum, vna illa dies, vnus DEVS, vnus MICHAEL, ſuauiſsime partium ſtudia compoſuiſti; ita deinceps; armorum ſtrepitus in amoris officia vertantur, Regnumque Tuum, fiat exemplo, quale Platoni fuit in voto, beatum. Accipe omen, ô bone REX! & hæc Tua Gentilitia Luna, quæ & ipſa in Arcum flectitur, velut Iris è Cælo, nuntia fæderis, & publicæ rerum pacis, imperet tranquil-

lita-

litatem. Ita Te Regum Regnorumque Sator, DEVS, diu terris commodet, diu nobis conseruet, seròque absoluat, grande hoc suæ Potentiæ ac Bonitatis miraculum: decet quippe munera sua, non magis magnitudo, quàm perpetuitas. Acta Tu KORIBVTHEÆ Gentis, GEDIMINI Aui, OLGERDI Parentis, IAGELLONIS Fratris, & annos vincas, atque adeò, REX, in æternum viue, Ringantur licet, & hæc memoranti obluctentur, quorum liuor & malignitas, nouissimè in furorem versa sunt; Nobis certe semper fastus solennisque hic dies erit, qui Te Polono inaugurat Imperio. Nemo nobis Publicam inhibebit Lætitiam; nemo linguis calamisque de Te loquentibus, silentium imperabit: Æternus Te Annalium honos sequetur, & non Nostra hæc, quæ vtcunque ex vmbrà & puluere scholastico, trepide ac titubanter in lucem Tuam damus, quibus tamen plus fidei inesse, quàm dignitatis, ingenue fatemur: sed seria scripta, & cælestium ingeniorum Diuina monumenta, pleniore stylo laudeq; colent, semperq; celebrabunt Augustam Regni Nostri, Te REGE, felicitatem.

Winkler